

*Facta est, dum oraret, species vultus eius altera.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 28 b-36

In illo témpore:

- <sup>28b</sup> Assúmpsit Iesus Petrum et Ioánnem et Iacóbum et ascéndit in montem, ut oráret.
- <sup>29</sup> Et facta est, dum oráret, spécies vultus eius áltera, et vestítus eius albus, refúlgens.
- <sup>30</sup> Et ecce duo viri loquebántur cum illo, et erant Móyses et Elías,
- <sup>31</sup> qui visi in glória dicébant éxodum eius, quem completúrus erat in Ierúsalem.
- <sup>32</sup> Petrus vero et qui cum illo graváti erant somno; et evigilántes vidérunt glóriam eius et duos viros, qui stabant cum illo.
- <sup>33</sup> Et factum est cum discedérent ab illo, ait Petrus ad Iesum:  
«Præcéptor, bonum est nos hic esse; et faciámus tria tabernácula: unum tibi et unum Móysi et unum Eliæ», nésciens quid diceret.
- <sup>34</sup> Hæc autem illo loquénte, facta est nubes et obumbrávit eos; et timuérunt intrántibus illis in nubem.
- <sup>35</sup> Et vox facta est de nube dicens:  
«Hic est Fílius meus eléctus; ipsum audíte».
- <sup>36</sup> Et dum fieret vox, invéntus est Iesus solus. Et ipsi tacuérunt et némini dixérunt in illis diébus quidquam ex his, quæ víderant. — Verbum Dómini.